


Examen Conciliationis Articuli De Justificatione Syncretistis Modernis Præcipue Oppositum

Rostochii: Typis Joh. Weplingii, [1711?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003411185>

Druck Freier  Zugang



RU theol. Sept.-Oct.1711

Fecht, Jo.

Inhalt:3 Dissertationen

/a.1-3

Q. D. B. V.
EXAMEN CONCILIATIONIS
ARTICULI

DE
JUSTIFICA-
TIONE

SYNCRETISTIS MODERNIS PRÆCIPUE
OPPOSITUM,

QVOD
DISSERTATIONE CIRCULARI,
PRÆSIDE

DN. JOANNE FECHTIO

SS THEOL. D. EJUSDEMq; PROF. PUBL. ORDIN. CON-
SIST. DUC. ADSESSORE ET DISTRICT. ROSTOCH. SUPERINT.
FACULTATIS ITEM THEOLOG. SENIORE ET h. t. DE-
CANO SPECTABILI,

DOMINO, PATRONO, PRÆCEPTORE, HOSPITE, AC
STUDIORUM MEORUM PROMOTORE, EA QVA FILIUM
DECET REVERENTIA SEMPER PRO-
SEQVENDO,

AD DIEM VII. OCTOBR. MDCCXI. 1711

IN AUDITORIO MAJORI
PUBLICE TUEBITUR

DAVID RICHTER.

GUSTROVIENS. MECKLENB.

ROSTOCHII,

TYPIS JOH. WEPFLINGII, SEREN. PRINC. ET ACAD. TYPOGR.

PROTOSYNEDRII ECCLESIASTICI

QVOD
APUD MECKLENBURGENSES FLORET
ROSTOCHII

PRÆSIDI PERILLUSTRI EMINENTISSIMO⁹³

DN. JOHANNI de KLEIN,

JURIS CONSULTO CONSUMMATISSIMO
POTENTISSIMÆ BORUSS. REGINÆ

UT ET
SERENISSIMI DUCIS REGNANTIS

MECKLENBURGICI INTIMÆ ADMISSIONIS
CONSILIARIO

AC
CANCELLARIO MAXIMÆ FIDEI
PANDECTARUM QVOQVE IN HAC ALMA
PROFESSORI SUÆQVE FACULTATIS
SENIORI MAXIME INCLUTO

VIRO

DE OMNIBUS QVÆ SUSTINET MUNERIBUS
INFINITIS MODIS MERITISSIMO

NEC NON

CÆTERIS ADSESSORIBUS OMNIBUS GRAVISSIMIS

VIRIS

PRÆNOBILISSIMO CONSULTISSIMO MAXIME REVERENDIS
ATQVE MAGNIFICIS

DN. JOHANNI JOACHI-
MO SCHOEPFFERO,

JURIS CONSULTO ET ANTECESSORI CELEBRA-
TISSIMO COMITI PALATINO CÆSAREO

CANCELLARIÆ ITEM MECKLENBURGENSIS VICE DIRE-
CTORI SPLENDIDISSIMO

DN. JOH. FECHTIO,

SS. THEOL. DOCTORE EJUSQUE PROF. PUBL.
PER UNIVERSAM CHRISTI ECCLESIAM QVA PURIOR EST
CELEBERRIMO DISTRICTUS ROSTOCH. PRÆSULI VIGILAN-
TISSIMO FACULTATIS SUÆ SENIORI ET h. t.
DECANO SPECTATISSIMO

**DN. JOH. PETROGRUE-
NENBERGIO.**

SS. THEOL. DOCT. HUIUSq; PROF. PUBL. ORDIN.
LONGE CELEBERRIMO, ECCLESIARUM PER AMBITUM ME-
CKLENBURGENSEM EPORO SUPREMO
VIGILANTISSIMOQVE

**DOMINIS MOECENATIBUS, HOSPI-
TI, PRÆCEPTORIBUS, atq; AMPLIFICATORI-
BUS ET PRÆSIDIIS SANCTE ÆTER-
NUMVE DEVENERANDIS**

HOC
QVALECUNq; STUDIORUM ROSTOCHIENSIIUM
MONUMENTUM IN MENTIS OFFICIOSÆ TESSARAM, ULTE-
RIOREMq; MEI COMMENDATIONEM
SUBMISSO ANIMI VULTU ET PIETATE
SUA OMNI PORRIGIT

TANTIS NOMINIBUS

ANNOS ET MITIA FATA PRECATUS

RESPONDENS.

EXAMEN CONCILIATIONIS ARTICULI DE JUSTIFICATIONE. PRÆLOQVIUM.



Interquieverant aliquamdiu excitata quondam à *D. Georg. Calixto*, primario Academiæ Helmstadiensis Theologo, de Fundamentali Religionum in Rom. Imperio receptarum, consensu, certamina; videbanturque controvertentium animi non ab acerbitate tantum omni remisisse, sed in iis quoque, in quibus antea funesta quaedam belligeratione dissidebant, haud parum rediisse in concordiam. Quæ ex re cum inter illustres Germaniæ nostræ scholas, tum inter illarum doctores, quin inter omnes eos, quibus Ecclesiæ concordia salusque curæ cordique fuit, nequaquam vulgaris exorta est gratulatio. Postquam vero *D. Johannes Fabricius*, hodie Regiæ Lutteræ Abbas, Professioni Theologiæ in Academia Julia admotus est, à functionis suæ illico ingressu, quorundam paradoxorum propositione, animum se gerere controversiarum conciliationi addictum testatus est. Quæ vetera resuscitandi dissidia cupiditas paulatim ita excrevit, ut septem abhinc annis duos in publicum e deret tractatus, quorum prior *Gvil. Forbessi*, Theologi Scoti, considerationes modestas & pacificas, alter suasmet variarum controversiarum considerationes sifteret, eidem præcipiti commiscendi diversas religiones consilio inservientes. Ex quo motus in utraque Saxonia, in
A que

2
 quæ superiori Germania exorti, in ipsam usq; Angliam sese
 diffuderunt. Quemadmodum vero superiori tempore,
 suarum esse partium Theologi, DEI Spiritu ducti, esse
 judicarunt, ut ejus religionis, in qua se sola salvari pos-
 se, quamque unam divino verbo conformem esse cre-
 diderunt, cujus etiam defensionem Majores nostri cum
 facultatum suarum sanguinisque profusione susceperunt,
 innocentiam, veritatem, puritatemque adversus omnem
 religionum misturam, pro virili sua defenderent: ita,
 hodie eò majores pluresque nobis subnascuntur causæ,
 eorum insistendi vestigiis, quo feralis ille Syncretismus
 plura nobis dedit & majora intra breve temporis spati-
 um defectionis ab agnita veritate exempla. Qvis igitur
 vitio vertere nobis poterit, si & in præsentī Acade-
 mia quid, de conciliationibus istis Theologicæ veritatis
 studioso judicandum, an sufficientibus innitantur funda-
 mentis, quem scopum finemque sibi habeant proposi-
 tum, & utrum bona cum conscientia præbere iis aurem
 queamus, commissam nobis juventutem erudiamus?
 Viginti quinque & amplius sunt anni, ex quo Jesuitæ
 Argentoratenses hoc artificio simpliciores in partes suas
 pertrahere non sine singulari successu annisi sunt. Cum-
 que in vicinia tum docendi munere fungenti in id ela-
 borandum mihi fuerit, ne & ad eos, qui fidei meæ cre-
 diti erant, malum serperet, jam eo tempore ex Galli-
 canorum Theologorum in hoc argumento scriptis non-
 perfunctoriam harum artium notitiam mihi comparavi,
 quam dein in privatas in hac Academia scholas non
 sine audientium fructu diffudi. Quarum dum nunc
 unum alterumque specimen, novis observationibus lo-
 cupletatum, in publicam lucem editurus sum, ut qua-
 liscunq; hic labor divinæ veritati illustrandæ, tranqvil-
 landisque multorum conscientis inserviat, faxit is, qui &
 via est & veritas & vita.

TRA-

TRACTATIO.

S. I.

Non potest negari, reformationis nostræ duces differentiam inter nos & Pontificios in hoc capite prorsus capitalem esse censuisse & maximi momenti. *LUTHERUS* enim in *Comment. in Ep. ad Gal. c. 2. Si Papa, inquit, nobis concesserit, quod solus Deus ex mera gratia per Christum justificet, non tantum volumus eum portare in manibus, sed etiam ei osculari pedes.* *GVIL. FORBESIUS* in *Conf. Pacif. l. 6 c. 1.* non dubitat scribere: hanc de *Justificatione* questionem utrique parti tanta molis videri, ut de eo immortali dissidio & bello irreconciliabili sibi contendendum esse putent. *MART. CHEMN. L. de Justif. sub init.* Hic locus est tanquam arx & precipuum propugnaculum totius doctrinae & religionis Christiana, quo loco obscurato vel adulterato, vel subverso impossibile est puritatem doctrinae in aliis locis servari. Salvo autem hoc loco corrumpunt per se omnes idolomania, superstitiones & quicquid est corruptelarum in omnibus fere aliis locis. Quem in sensum & à Pontificiis *Alb. Pighium* allegat.

S. II. *Jac. Ben. Bossuetus, Arnaldus, Porta Regiæ doctores, alijque, novissime Syncretistarum reliquorum princeps Jo. Fabricius, Abbas Lutheranus,* persuadere simplicioribus nituntur, ac si hodie vel nullus esset vel exiguus admodum in hoc capite inter Lutheranos & Pontificios dissensus: quantumvis tempore Lutheri aliter visum fuerit utriusque partis doctoribus, adeo ut vel ob hunc unum articulum Lutherani primò à Pontif. discesserint. Cui vero assertioni non immerito sequentia opponit *Petr. Jurius*, libello, cui titulum indidit: *Preser-*
vatif.

S. III. Primò: non omnino verum esse, quod articulus de *Justificatione* à reformatibus nostris pro omnium principalissimo, primò & unico habitus fuerit, ob quæ à Pontif. discesserint. Nec enim ab hoc articulo initium fecisse reformationis, nec etiam bullam Leonis X. condemnatoriam, per quam ex Ecclesia Rom. nos ejecerit, ullum in se articulum complecti, qui justificationem directè attingat. II. Articulus non minus quam ille de *Justificatione* maximi momenti esse, de invocatione Sanctorum, de cultu imaginum, de adoratione sacramenti,

EXAMEN CONCILIATIONIS

4

cramenti, de sacrificio Missæ & sexcentis ejusmodi aliis. Quod nunquam negarint reformatores nostri. III. Nullam esse consequentiam, si vel maxime verum esset, in hoc nos hodie articulo consentire, in quo olim non consenserimus: una hodie præcipua discessus nostri causa remota est, ergo cæteræ causæ, de invocatione sanctorum, reliquisque non sunt vel pariter præcipuæ vel satis urgentes discessionis causæ. Pueros enim videre hujus consequentiæ infirmitatem. Utique verum esse, plures dari articulos præcipuos, quia tot sunt præcipui, quot sunt fundamentales. Tales autem sunt plures. Hinc inscriptio Articulorum Unionis Argentinensis, ab ipsis Pontificiis facta: *Articuli fidei præcipui XXX.* IV. Non diffiteri nos, majorem Majores nostros & minorem nos hodie causam habere contendendi de hoc argumento. Non quod hodie prudentiores simus quam Majores nostri & illis plus videremus, aut quasi Majores nostri illegitime & immerito circa hoc argumentum contenderint, sed quod Pontificii hodie nobis minus causæ suppeditent, cum ipsis de hoc argumento litigandi. Nec enim negamus, tolerabiliorem esse hodiernam de Justif. doctrinam Pontificiorum, quæ Patrum nostrorum ætate intolerabilior fuerat. Nam ante Conc. Tridentinum doctrina Romanensium Scholasticorum vere Pelagiana fuerat. Quippe qui Pelagiani docuerunt: hominem sine auxilii gratia se posse ad justificationem præparare, per vera bona opera; posse hominem ex naturalibus viribus, veram & feriam peccatorum suorum poenitentiam habere, idque ex motu talis charitatis, quæ Deum supra omnia diligit. Idque esse viam proximam & ultimam ad consequendam habituales gratiam & opus vere meritorium, non quidem de condigno, tamen de congruo, h. e. quod Deus compenset non secundum rigorem justitiæ suæ, sed quia conveniat bonitati ejus, ne sine præmio maneat; quam poenitentiam, si fuerit per gratiam consummata, tum mereri vitam æternam de condigno, ex vi justitiæ divinæ. Ita *Vasquez, Scotus, Biel, Cajetanus.* *Estius* tribuit hanc opinionem *Guil. de Auxerres, Durando de S. Portiano, Thoma de Argentina, & Almaino.* Quam doctrinam Excalceati in Concilio Trident. vehementissime propugnarunt apud *Petr. Suavem* l. 2. adeo ut *Lud. Catanus* & *Dominicani*, qui Augustini de gratia opinionem propugnabant, publice profiterentur, se omni eruditione sua istam Excalceatorum doctrinam non posse à doctrina Pelagii secernere. Idem descendit *Molina* & omnes superiores autores allegat, Cum

Cum itaqve tum hæc communis Scholasticorum doctrina fuerit, merito eandem nostri taxabant, merito secessum ab ea faciebant. Jam vero hodie tolerabilius communiter apud Pontificios doceri, cum istam crassam & totaliter Pelagianam opinionem rejiciunt & in multis ad Augustinum propius accedunt, non negamus. Atqvi hæc causa est, quod hodie non amplius de hoc argumento tantopere ac olim contendamus.

§. IV. Quamquam vero sub initium Reformationis plures majoresque cause fuerint, Pontificæ doctrinæ sese opponendi, nondum tamen cessarunt omnes causæ, cum iis contendendi. Nam in Conc. Trid. iste crassus Excalceatorum Pelagianismus non fuit damnatus, sed doctrina de gratia iis dubiis & ambiguis verbis proposita, ut utraqve opinantium pars sub iisdem latere posset. Nec audiri meretur excusatio: nihil fuisse de ea controversia per traditionem determinatum. Nam utiqve Pelagianismus in conciliis damnatus fuit. Vid. Conc. Aurificanum can. 9. ubi meræ gratiæ tribuitur, cum boni quid agimus, nec quocunqve modo per bona opera, citra gratiam facta, quicquam à DEO nos mereri aut impetrare posse asseritur. Vid. can. 20. & 28. Quæ omnia è diametro pugnant cum Scoti scholæ, quæ docet: *nos Deum ex meris liberi arbitrii viribus super omnia diligere, eoqve nos proxime ad justificationem preparare posse.* Quodsi dicas: istos Semi-Pelagianos utiq; à Conc. Trid. damnatos esse; tum respondeo: cur itaqve hodieqve ista passim defenduntur? Cur defendentes tolerantur? Cur *Alph. à Castro*, tantus catholicus, contrariam sententiam hæreseos accusat? Cur *Dominicus à Soto*, qui interfuit concilio, etiam post concilium sententiam suam defendit & ad Conc. Trid. provocavit? Et si inspiciantur omnes Tridentini canones, ultro ex eorum lectione apparebit, Semi-Pelagianos sub iisdem latere posse. Præterea in eodem Conc. Trid. can. 7. 8. 9. 19. 21. 27. 10. II doctrinæ nobis imputantur, quæ in mentem nobis nunquam venerunt. Quomodo itaqve approbare concilium & consentire cum Pontificiis possumus? Iidem canones multa damnant, quæ nos pro immotis veritatibus habemus, e. g. quod justificatio nostra in sola remissione peccatorum & imputatione justitiæ Christi consistat, can. 10. Talia sunt quæ can. 12. 16. 17. 18. 25. habentur. Et hæc hæctenus omnia singulaqve jure meritoqve respondet *Jurim.*

A 3

§. V. Addo

§. V. Addo ego, qui é doctioribus juxta *Bosuetum* hodie minus de hoc argumento contendendum esse propugnant, partim pauciores esse, partim non ideo agnoscere, hoc in capite nullam prorsus dari à Pontificiis discedendi causam. Nam é nostris extra G. Calixtum vix ullus, ex Calvinianis plures, interq; eos cum primis *Grotius* & *Forbesius*, id forte asseruerint. Qui tamen ideo nec ipsi (ne quidem *Grotius*, quod contra *Arnaldum* tuetur in *Replicâ Forbesii*) communioni Pontificiæ accesserunt, nec ulla hac in re apud cœteros, numero longe plures, autoritate pollent, sed unanimi potius consensu rejiciuntur. Insuper in hoc ipso argumento plures Pontificiorum errores agnoscunt, quanquam particularibus tantum doctoribus eosdem adscribant, & donec tota Ecclesia Pontificia iisdem sese immergat, unionem eos non impedire, simul propugnent.

§. VI. Ut autem de momento hujus controversiæ rectius constet, sciendum, nos ductum sacrarum literarum secutos, discernere ante omnia hominis justificationem & ejusdem sanctificationem. Quarum illam cum Davide atq; Paulo vocamus, quæ in peccatorum remissione & imputatione Justitiæ Christi consistit, hæc vero in renovatis bene agendi viribus cernitur. Illam ubique, in principalissimo præcipue loco Rom. III. v. 23 --- 28. gratuitam vocat Paulus, ubique soli fidei tribuit, ubique opera simpliciter omnia, sine ullo indicio distinctionis inter opera ex viribus rationis & ex gratia facta, immo opera in ipsâ justitia facta, Tit. III. 5. ab eadem removet. Et quidem opera ob ipsam vocum generalitatem & perpetuam fidei & operum oppositionem, cujuscunq; sunt conditionis, & in quocunq; statu ab homine facta. Ubiq; enim fidem & opera opponit, eo quod hominem tanquam peccatorem, sub maledictione constitutum & ab ista maledictione, solâ in liberatorem suum ductâ liberatum, producit, Deumque in hoc opere, non tanquam agens physicum, hominis qualitates immutantem, sed ut agens morale, h. e. tanquam judicem, ex mera gratia peccata remittentem & ob alienam justitiam, citra intuitum operum vel ante vel post præstitorum, eum justum declarantem repræsentat. Et vero eadem Scriptura id negotium, nemine dubitante tanta severitate, tanto rigore agit, ut, qui aliter credat, qui aliter doceat, quicumq; per opera legis hominem justificari asserat, eum salute excludat. Gal. V. 4. Hæc tanta Pauli in
Epist.

Epist. ad Rom. Gal. & Ephes. sollicitudo & severitas, in causa sine dubio fuit omnibus Ecclesiae nostrae doctoribus, ut hunc articulum tanti momenti esse crediderint, in quo cedere nullo modo possent, sub quocumque praetextu & delinimento id fieri vellent adversarii. Si enim liceret dicere: Justificationem ita posse sumi, ut sanctificationem comprehendat, cur Apostolus id suo tempore passus non est? cur a deo sollicite distinxit? cur eos, qui Justificationem ex lege fieri asserunt, salute exclusit? Annon & illi dicere potuissent: Apostolum meram committere *λογομαχίαν*? Nam Pseudo-Apostolos fidem in Christum, cum Christiani fuerint, non excludentes, Justificationis vocem tam late poterant sumere, ut sanctificationem, quae per opera ex lege fit, complecteretur. Itaque cum Apostolus ea in re tam fuerit severus, ut etiam qui aliter doceret, eum salute exulare & Christum amittere assereret, quomodo nos hodie cedere possimus? aut aliter quam Apostolus fecit, facere?

§. VII. Ex quibus immota consequentia sequitur: I. Aut falsum esse, quod Apostolus asserit, salvari non posse, qui per bona Opera justificari, aut justum per infusionem operum fieri hominem asserit, aut thesin illam nostram, quae est: Justificationem hominis esse actum mere forensis, non physicum, destruendam & contrarium probandum esse. De utroque enim nos Lutherani ex S. Literis certissimi sumus. Et tamen consequentia cuilibet, terminos audienti, evidens est. II. Sequitur, non posse nos ad eam Ecclesiam accedere, quae ait, hominis justificationem fieri, vel per bona opera antecedanea, tanquam merita de congruo, vel per bona opera in actu justificationis infusa, tanquam per formalem justificationis causam, quod faciunt Pontificii omnes, quamdiu persuasi sumus, Scripturam omnia opera, quocumque nomine veniant, sive ante sive in justificatione, à justificatione excludere & in solo gratiae divinae actualis exercitio, quae peccata nobis nostra remittit, & alienam justitiam imputat, constituere. Ratio consequentiae est, quia si aliam justitiam coram DEO admittimus, Christum amisimus. III. Sequitur, non posse nos pati, ut justificatio mere forensis, quae coram DEO justus reddimur, cum sanctificatione, quae justificationem sequitur, confundatur, quia alias prorsus frustranea esset Apostoli severitas, opera à justificatione tam graviter excludentis, cum ea in sanctificatione intime involvantur.

§. VIII.

EXAMEN CONCILIATIONIS

§. VIII. Præterea ex ipso Conc. Trid. probari potest, Lutheranam sententiam cum Pontificia non posse conciliari. Nam id Sess. VI. can. 11. fulmen vibrat in eos, qui dixerint, quod homo justificetur aut per solam imputationem meriti Christi, aut per solam peccatorum remissionem. Quæ Lutheranis opposita esse nemo unquam dubitavit. Hi enim illi ipsi sunt, qui dicunt: Justificationem hominis consistere in sola meriti Christi imputatione positive, in sola remissione peccatorum private. Hinc recte argumentamur: Quicumque Lutheranam de formalibus Justificationis actibus doctrinam anathemate percutiunt, illi cum Lutheranis in hoc ipso argumento non consentiunt. Pontif. Ergo. Præterea hunc in modum argumentamur: Si Pontificiis Lutheranorum de justificatione doctrina, quæ eandem in sola peccatorum remissione & imputatione justitiæ Christi consistere profitetur, eo quod non videatur totam justificationem, quæ secundum Romanenses insuper in virtutum infusione consistit, quam tamen Lutherani ad sanctificationem, justificationi indivulso nexu conjunctam, referunt, exprimere, intolerabilis & anathemate digna est, multo magis Lutheranis Pontificiorum de justificatione doctrina, eo quod aliquid amplius quam secundum S. Literas in justificatione complectitur & quæ eum, qui per id justificari cupit, salute excludit, intolerabilis & anathemate digna est. Cur enim nos toleremus Pontificios, nostra opinione aliquid justificationi addentes, quod additamentum Apostolus anathemate dignum judicat, & illi non tolerant nos, ipsorum opinione de justificatione aliquid detrahentes, quæ tamen detractio nullo unquam anathemate digna judicata fuit?

§. IX. Jam cum constet in genere, sententiam Lutheranam cum Pontificia conciliari non posse, ulterius videndum, quomodo componere Pacificatores utramque partem in singulis justificationis partibus connitantur? Et quidem quod remissionem peccatorum concernit, primò allegant verba Concilii Trid. quod profitetur: gratis nobis remitti peccatum, ita ut nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, ipsam justificationis gratiam promereatur. Ecce itaque, ajunt, ipsum Concilium Trid. haud aliter quam Lutherani, omnia opera, quocunque nomine veniant, è justificatione excludit, adeoque cum Lutheranis prorsus coincidit.

§. X. Ad quæ respondetur, I. Quicumque omnia opera, quæ remissio-

remissionem peccatorum antecedunt, à merito remissionis peccatorum excludunt, & tamen formam justificationis ultimo in infusione operum constituunt, illi eo ipso non omnia opera à justificatione excludunt. Atqui Pontificii. Ergo. Nempe, jam supra ostensum est, Lutheranos non tantum ex S. literarum autoritate credere, sed & persuasos esse, se sub aeternæ salutis jactura credere teneri, non tantum opera justificationem antecedentia, sed & eandem vel concomitantia vel consequentia ad justificationem non pertinere. Uno verbo: justificationi cum operibus nihil rei esse: quemadmodum cum maleficus à judice ob alienum meritum vel intercessionem libertati restituitur & absolvitur justusque pronunciat, neque ulla ejus bona opera antecedentia attenduntur, neque nova bona opera eo ipso actu ei inspirantur. II. Quicumque omnia opera quæ remissionem peccatorum antecedunt, à merito quidem justificationis de condigno, non tamen à merito justificationis de congruo ita excludunt, ut eos, qui meritum operum de congruo in ordine ad justificationis gratiam asserunt, anathemate dignos cum Concilio Arausicano judicent, illi hoc ipso non omnia opera à justificatione excludunt. Pontif. Ergo. Quicumque verò cum Lutherana Ecclesia non omnes errores circa gratiam peccatorum remissionem, ab universali Ecclesia in universalibus conciliis damnatos, pariter damnat, sed eorum nonnullos in sinu suo tolerat, is cum Lutheranis in articulo de justificatione fundamentaliter non consentit. Pontif. Ergo. Supra enim ostensum est, non tantum sub prima reformationis tempora Scotistarum Pelagianismum in Ecclesia Pontificia dominium agitasse, sed & hodie illos, qui sub Molinistarum nomine Scotistarum hypotheses ubique defendunt, in medio Pontif. coetu tolerari.

§. XI. Deinde Pontificios omnia opera à remissione peccatorum excludere, inde etiam probant Pacificatores, quod Ecclesiæ Rom. doctores duce Scriptura non tantum remitti peccata, sed & auferri prorsus atque deleri adseverent, adeoque sanguinis Christi virtutem, adeo non imminuant, ut potius augeant atque illustrent.

§. XII. Sed vero hoc non est diversarum sententiarum conciliatio, sed potius evidentior dissensus ostensio. Lutheranis statuunt, remitti tantum in justificatione peccata & tegi: Pontificii vero, non.

B

tegi

tegi tantum peccata, sed & auferri atque deleri. Quid est dissensum inter partes pleniorum facere, si hoc non est?

§. XIII. Dices: hunc dissensum tanti aestimandum non esse ut pacis inter nos vinculum rumpat. Si enim coetera sint composita, leviorum hunc dissensum merito Ecclesiarum paci condonari, cum primis, cum nec Lutherani prorsus negent, peccata deleri & hæc ipsa doctrina sanguinis Christi virtutem manifestet potius quam diminuatur.

§. XIV. At vero I. vel hunc ipsum dissensum tanti aestimant Pontificii, ut neminem in Ecclesia sua tolerant, nisi credat, peccata non tantum remitti in justificatione, sed & deleri. Inde enim nobis obijciunt, justificatos nostros esse sepulcro dealbato similes, foris Christi justitia speciosos, intus peccatorum permanentium sordibus turpes. Si itaque Pontificii opinionem nostram, existimantes, eam absurdam & veritati divinæ adversam esse, non tolerant: cur nos toleremus ipsorum doctrinam, quam longe magis, verbo divino adversari, persuasi sumus? II. Levis error judicandus non est, qui revelata in verbo Dei veritati contrariatur. Cum imprimis dogma illud de totali extirpatione peccati alios errores prorsus intolerabiles & veræ pietati infestos progeneret. Utpote præsumtionem carnalem atque Pharisaicam, quasi ab omni peccato liberi essemus contra I. Joh. I. 8. Quasi legem divinam perfecte possimus implere, contra Act. XV. 10. Quasi etiam opera Supererogationis facere possimus, contra Luc. XVII. 10. III. Lutherani peccata non alio sensu dicunt deleri, quam quod eorum vis & virtus infirmetur per gratiam, non justificantem, sed sanctificantem, quo minus eo ipso impetu, quo antea adfuerant, in actum prorumpant, ut tamen radix peccatorum & concupiscentia, ad peccatum excitans semper maneat. Delectio quoad hanc radicem est & dici potest moralis, cum Pontificiorum penitus sit physica. IV. Quid sanguinis Christi virtutem illustret & augeat, non ex nostro ingenio, sed ex verbo divino judicandum est. Alias eodem argumento se Calviniani possent tueri, qui fidem semel collatam amitti non posse docent. Ea enim doctrina videri poterat sanguinis Christi virtutem in procuranda fidei perseverantia occupatam, illustrare potius & augere quam labefactare & minuere. Et tamen is ipse error in Concilio Trid. notatus & anathemate percussus est Sess. VI. can. 23.

§. XV.

§. XV. Cum itaque constet, in primo justificationis actu
 ἵς ἁλῆ πρῶτον distare Lutheranos & Pontificios, ad actum etiam se-
 cundum nempe imputationem justitiæ Christi, transeundum est & vi-
 dendum, quomodo hic conciliare nos Pacificatores velint. Mirum
 vero est, quemquam hic compositionem vel somnare posse, qui co-
 gitaverit I. Concilium Tridentinum bis anathema dixisse Sess. VI. can.
 10. & 11. iis, qui dixerint, per justitiam Christi nos formaliter justos
 esse; quod eadem Lutherani diserte dicunt & profitentur; & ho-
 mines sola imputatione justitiæ Christi positive justificari, quod di-
 ferta pariter Lutheranae Ecclesiae doctrina est. Quæ itaque conciliatio
 potest esse propositionum formaliter contrariarum? Fideles Christi
 justitia formaliter justii sunt: & fideles justitia Christi formaliter justii
 non sunt? Cum præcipue constet, Tridentinos hoc anathema in Lu-
 theranorum doctrinam, quæ Lutherana est, & Pontificiæ opposita, vi-
 brasse, adeoque oppositionem inter istas propositiones fieri, secundum
 Aristotelis regulas, ad idem, secundum idem & eodem prorsus respec-
 tu. II. Ex hoc ipso principio Pontificios doctores, tantas subinde in
 justitiam hanc nostram imputatam strinxisse accusationes, utpote,
 quod constituamus justitiam imaginariam, chimericam, umbraticam,
 putativam, quæ in corde hominis immensas relinquat peccatorum sor-
 des & justificatos ipsos faciat servos vitiorum suorum & diaboli filios,
 Ex quo ipso & solennem illam accusationem deducunt, quod simus
 inimici bonorum operum, quorum necessitatem pernegemus, quod-
 que secundum nostram doctrinam salvari quis possit & tamen manere
 atrocissimis peccatis obnoxius. His cum imputationibus quomodo
 imputata justitia consistere potest? Neque regeri potest, qui ita con-
 tra nos disputant, intelligere imputatam justitiam sine operum conse-
 cutione; nam illi non ignorant, nostros, quantumlibet doceant justitiam
 nostram coram DEO formaliter & positive sola imputatione justitiæ
 Christi absolvi, tamen simul docere, eandem ita formaliter absolutam
 justitiam, indivulso & necessario nexu animi sanctificationem per,
 bona opera, tanquam justificationis effectum & documentum, simul
 consequi. Quemadmodum itaque qui docent, hominem essentiali-
 ter solo corpore & anima rationali constitui, non negant, sed conse-
 quenter simul docent, hominem verum sine iis, quæ corpus animam-
 que plerumque consequuntur, utpote sine locutione, sine discursu ali-

isqve id genus animæ corporisqve consequentibus nunquam existere, ita, qui docet, hominem justum sola justitia Christi formaliter justum esse, non negat sed simul necessario docet, hominem jam justificatum sine bonorum operum vel studio vel proposito nunquam reperiri.

§. XVI. Cum itaqve constet, irreconciliabilem hoc in puncto esse Papismum, videndum, quomodo conciliare nos nitatur recentissime *Bossuetus* aliiq;. Hi itaqve profitentur, docere Rom. Ecclesiam: *justitiam Christi non tantum imputari fidelibus, sed actu & re ipsa Spiritus operatione communicari, ut ejus gratia non justii tantum reputentur, sed fiant.* Habes hic justitiam imputatam, communicatam, reputatam, quæ ipsissima Lutheranorum sunt axiomata. Cumqve Lutherani præterea doceant, hominem, qui semel est justitia Christi imputata justificatus, etiam inhærenter justum fieri, i. e. sanctificari, idemq; dicant Pontificii, ultro sequitur, nihil prorsus inter nos esse differentię.

§. XVII. Sed hæc ex dictis facile diluuntur. Nam I. *Bossuetum* non eo sensu justitiam Christi nobis imputari dicere, quo Lutherani hoc dicunt ex eo evidens est, quia hic Lutheranus sensus à Concilio Trid. est expressissimis verbis rejectus, ut antea ad oculum ostendimus. Quare ita argumentamur: Quicumq; imputatam Christi justitiam quam docuerunt elim & etiamnum docent Lutherani, per anathema rejiciunt, ii quamdiu huic anathemati inhærent, cum Lutheranis non conveniunt, quamvis iisdem quibus Lutherani verbis utantur. Ergo. II. Nonnulli non refugiunt dicere, *Bossuetum* in hac sua confessione à communi Concilii Trid. & Rom. Ecclesię doctrina recedere & veritatem Lutheranam aperte profiteri. Nec enim ante ipsum quemquam facile ita locutum fuisse è Pontificiis: imputari nobis Christi justitiam, itemqve: gratia Christi nos justos reputari. Quod equidem adeo verum est, ut D. *CALIXTUS* in Conf. Doctr. Pont. sec. duct. Conc. Trid. p. 14. quamvis conciliando aut certe mitigando huic dogmati studiose incubuerit, non potuerit ullum è Pontificiis nominare, qui imputari nobis justitiam Christi ausus fuisset dicere. Quos si scivisset, utiqve sollicitè tanquam instituto suo servientes adduxisset. Quamquam negandum tamen non sit, nonnullos ea voce usos esse, imprimis ante Conc. Trid. quales allegat *FORBESIUS* (D. *CALIXTO* nunquam vilus, quem si vidisset, quantopere sibi fuisset gratulatus!) in Conf. Pacif. pag. 47. sed tantum ex communicationis à Concilio Trid.

Trid. usurpata voce certo concludi ait, adeoque infert, non habuisse causam Concilium, cur imputationem justitiæ Christi rejecerit. De quo tamen postea dicemus. Dicunt itaque Theologi, gratulandum nobis esse, quod hac in parte deserto Concilio Trid. in partes nostras transferit *Bossuetus*. Et hunc transitum vel non vidisse, vel certe sub specie magni in convertendis hæreticis successus dissimulasse Pontificem & Cardinales, librum ejus approbantes. Et ne ista conniventia Romæ noceret, non amplius tolerare voluisse in *Articulis Argentoratensibus* (quorum titulus erat: *Die fürnehmste Glaubens-Articuli/ beide Kirchen / nemlich die Römisch-Catholische und Lutherische/ mit einander zu vereinigen. Straßb. Anno 1685.*) sed eosdem ingenue damnasse, Papali censura ad omnium templorum fores affixa, ut ut verbotenus ex *Bossueti* excerpti essent. Quæ si vera sunt, tum equidem hic articulus inter nos & *Bossuetum*, nostræ quippe sententiæ accedentem conciliatus est. Manet tamen interea controversia inter nos & totam reliquam Ecclesiam Romanam, Concilio Trid. adhaerentem & imputatam justitiam damnantem. Sed vero III. ego equidem nondum video satis causæ, cur ob unius voculæ, quæ pariter atque cæteræ diverso sensui obnoxia est, usurpationem, tantopere de *Bossueti* consensu in hac doctrinæ parte nobis gratulari debeamus. Potestque scrupulum nobis omnem eximere *Becanus*, quando libro I. Man. contr. c. 16. qv. 2. n. 16. ad quæstionem: an ullo modo concedi possit, justitiam Christi nobis imputari? respondet: *utiq; posse, sed non eo, quo Lutherani id asserant, sensu*. Ecce itaque non unus neque primus *Bossuetus* est, qui imputari nobis justitiam Christi concedit. Cum vero quæritur; quo sensu verum quo falsum esse adseveret, justitiam nobis Christi imputari, respondet: falsum esse sensu Lutherano: *quando justitia Christi ita nobis imputari dicatur, ut per eam formaliter justii censeamur*. Vide itaque quam bene inter nos conveniat, quam belle doctrina Romana & Lutherana conspirent! Verum autem esse sensum Catholicorum, qui doceant: *Christum sua passione pro nobis satisfacisse DEO Patri & impetrasse remissionem peccatorum & omnia dona gratiæ & justitiæ inherentiæ. Et hoc sensu passionem Christi, quia pro nobis facta est, nobis imputari, non quod per illam formaliter justii sumus, sed quia (in genere causæ efficientis, uti apud FORBESIIUM p. 52. Tapperus loquitur) ex merito & efficacia ejus dona-*

tur nobis gratia, sanctitas & iustitia inhaerens, quæ DEO grati, sancti & iusti constitutamur. Ex hac Becani distinctione verba *Bossueti* nostri in superiori §. posita ita circumscribenda & intelligenda fuerint: *Itaque iustitia Christi non imputatur fidelibus tantum, i. e. non meretur tantum fidelibus, quippe pro quibus præstita est, iustitiam, nec efficax tantum est, procurandi in fidelibus iustitiam, sed actu & re ipsa Spiritus S. operatione iustitia illa, ut meritum fidelibus communicatur (prorsus quemadmodum cap. 7. Syn. Trid. dixerat, nemo potest esse iustus, nisi cui merita passionis Domini nostri J. C. communicantur, quæ merita paulo ante vocaverat, ipsam Dei iustitiam, varia mensura varioque gradu sese fidelibus dispensantem) ut ejus gratia non iusti tantum reputentur, ut Lutherani volunt, sed fiant; q. d. ut ideo recte reputentur iusti, quia inhærenter sunt iusti, non autem (quæ scilicet secundum ipsum falsa est Lutheranorum sententia) ideo sint iusti, quia propter Christum fide apprehensam reputantur iusti. Hanc esse genuinam *Bossueti* sententiam nemo amplius dubitare potest, qui vel *Becani* à nobis allegata verba legerit, vel cogitaverit, neque posse neque velle *Bossuetum* Concilio Trid. cujus perpetuus toto opere est interpres, contradicere, & imputationem illam concedere, quam rejecit concilium. Nempe verba *Bossueti*: fideles Dei gratia non iusti tantum reputantur, non sunt affirmativa, quasi *Bossuetus* vellet, reputari quidem ob Christum iustos fideles, (quo sensu ea accepit *DAV. NOSGIERUS*, Respons. au Livre de Mons. de Condom. p. 90. qui sibi ideo de ejus consensu blanditur, quod tamen in mentem nunquam venit *Bossueti*) sed præter id, quod reputentur ob Christi iustitiam imputatam iusti, revera etiam propria iustitia esse iustos. Si enim affirmativa esset, consequentibus conjunctione copulativa connecti debuissent, hoc modo: Iustitia Christi non imputatur fidelibus tantum, sed etiam actu & re ipsa Spir. Sancti operatione communicatur. Quod cum non fiat, à *Bossueti* negantia sive contradicentia esse, atque negative secundum mentem *Bossueti* intelligenda, ultro patet. Nam cum Lutherani dicunt: Fideles coram tribunali Dei in actu justificationis suæ tantum reputantur iusti, ipse contradicit addita voce: non; falsitatem tantum hujus propositionis Lutheranæ demonstrante: fideles coram tribunali Dei in actu justificationis suæ. NON tantum reputantur iusti. Et sensus*

sensus contradictionis est: falsum est fideles tantum reputari justos. Quomodo in simili si Philosophus Stoicus diceret: Homo proprie tantum anima est; egoque contradicerem: Homo proprie non tantum anima est: vel: non homo tantum proprie anima est; tum non hoc vellem ac si homo quidem anima esset, (id enim falsum esset nam homo non est anima, sed constat animâ sive est animatus) sed præter animam aliud quid quam anima. Ita si, ut videntur, intelligenda sunt verba *Bossueti*, tum ultro consequitur, adeo illum in his verbis Lutheranam & Pontificiam de Justificatione doctrinam non conciliare, ut potius vehementissime divellat. Lutheranorum quippe doctrina est: Homo per imputatam Christi justitiam, fide apprehensam, tantum reputatur justus, non autem in eo justificationis inhærente actu virtute est justus. *Bossueti* vero doctrina huic è diametro opposita est: homo per imputatam Christi justitiam fide apprehensam non tantum reputatur justus, imo ob nudam hanc imputationem nullo modo est justus. Hæc si vera sunt quomodo de ejus consensu, qui dicit: *ἄλλοι πιστοὶ* dissidemus, gratulari nobis possumus? Imo addo ultimo loco, si vel maxime verba illa *Bossueti*: *Ejus gratia non justus tantum reputamur, sed simus*, affirmative essent intelligenda, hoc sensu: ejus gratia & justus reputamur & simul simus, dupliciter adhuc sententia Lutherana à Pontificia distaret. Primo, quia propositionem illam *Bossuetus* ita intelligeret: Dei gratia justificante, seu quia & quando nos justificat, justus & reputamur & inhærenter simus. Quam vero ita intellectam propositionem toti pernegant, qui quidem dicunt, Dei gratia justificante, hominem reputari justum, non fieri vero inhærenter justum sanctificante gratia: Existimantque eos, qui hæc confundunt, & qui coram tribunali Dei per ulla opera ipsis inhærentia salvi fieri sive justificari volunt, ex Apostoli dictato, Christum & salutem amittere, gratiam divinam irritam reddere & carnali superbiæ atque præsumptioni latam portam aperire. Hæc enim omnia Apostolus iis objectat, qui per bona opera justificari volunt. Secundò, quod propositionem illam *Bossuetus* ita intelligeret: Dei gratia in nos effusa & nobis inhærente justus simus atque ideo & justus merito reputamur, propter hanc nempe gratiam in nos effusam & nobis inhærentem, non autem propter Christi justitiam ex gratia activa imputatam & per fidem à nobis acceptam.

ceptam. Quo pacto iterum toto coelo distamus. Prius enim Pontificii, posterius nos defendimus. Ut adeo quamcunque harum interpretationum assumat *Bossuetus* (necesse autem est, ut unam earum assumat, siquidem Concilio Trid. contradicere non velit) nihil prorsus conciliaverit, sed nos in perpetuo & irreconciliabili bello & dissensu reliquerit.

§. XVIII. Hæc cum verissima sint, quæ nec unquam ipse *Bossuetus* negaverit, sæpe miratus sum, è nostris & Reformatis, qui ex nudo imputationis & reputationis vocabulo (nam communicationis voce ipsum Conc. Trid. utitur) à *Bossueto* usurpato, imponi sibi paterentur, ut crederent, *Bossuetum* à Rom. doctrina recedere & vel nostram amplecti, vel certe à nostra non admodum alienum aut remotum esse. Dico itaque, *Bossuetum* nobis non magis, quam quæquam alium, etiam rigidissimum suæ partis Theologum, consentire, sive respicias terminos in scholis tantum usurpatos sive communi loquendi ratione hanc doctrinam proposueris. Nam I. quod terminos scholasticos attinet, quæraturn à *Bossueto*, utrum iustitia Christi ita fidelibus imputetur, ut hæc imputatio sit forma in homine, ob quam & per quam ultimo denominetur justus coram Deo, quæ est Lutheranorum opinio. Negabit profecto, dicetque cum *Becano*, imputari ut meritum, ut causam, iustitiam, ultimo in virtutibus consistentem, efficaciter procreantem. Vel quæraturn: Utrum iustitia agendo patiendoque pro nobis præstita ita nobis imputetur, ut hæc ipsa, eadem numero iustitia hominem constituat in se justum non attenda ulla per hanc iustitiam in hominis animo progenerata virtute? Negabit *Bossuetus*, dicetque iustitiam Christi, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, nobis imputari, adeo ut dicente Conc. Trid. Sess. VI. c. 7. *ea iustitia Christi donati renovemur Spiritu mentis nostra, & non modo reputemur, sed & vere justi vocemur & simus, iustitiam in nobis recipientes* (ut illa tanquam virtus nobis inhaereat, quod patet ex mox seqq.) *unusquisque suam secundum mensuram, quæ Spiritus S. partitur singulis prout vult.* Iustitia autem Christi agendo patiendoque præstita, adeoque quæ extra nos est, non patitur intensionem & remissionem, nec dispensari potest, quia est infinita. Lutherani autem prius pertinacissime defendunt. II. Quod modum loquendi communem attinet, in quo è nostris quoque

D. G.

D. G. CALIXTUS (quem nuper expressit in Considerationibus **D. FABRICIUS**) nostram doctrinam à Pontificia vix internosci posse existimat (verba ejus in Confid. Doct. Pont. p. II, hæc sunt: *si utamur vocabulis vulgari usui receptis & quemadmodum hoc dogma populo Christiano proponit & ab eo credi oportet, loquamur, vix ullus poterit deprehendi dissensus*) idem dissensus inter nos & *Bossuetum* aperte deprehendetur. Si enim quæ-
ratur: an homo peccator coram throno divino consistens & peccatorum veniam pariter atq; gratiam divinam, quâ iterum spem vitæ æternæ habere queat, desiderans, peccatorum remissionem per meram gratiam & spem salutis per meritum alienum Servatoris sui impetret, atq; adeo à Deo pro justo declaretur, non ob ulla opera in illo existentia, ex mera gratia, ob justitiam ab alio pro ipso præstitam? Quemadmodum qui quempiam occidit, ex mera interdum gratia ob alienum meritum, non intuitu ullius propriæ virtutis, sive concomitantis sive consequentis, vita donatur; affirmabunt Lutherani, negabit *Bossuetus*. Si quæ-
ratur: an ideo homo Deo confidere & salutis suæ spem unice in Deo figere debeat, quia Christus, quicquid peccatis nostris merebamur, passus est, & quicquid mereri & impetrare ipsi non poteramus, meruit & impetravit, adeo ut ex nostra parte nihil aliud ad utendum his beneficiis requiratur, quam ut alienam hanc passionem & actionem accipiamus, inque peregrino hoc merito acquiescamus? affirmabunt Lutherani, negabit *Bossuetus*. Si quæ-
ratur: an homo justificari desiderans adeo in opera propria respicere non debeat, ut si eadem respiciat, si per opera salvari velit, Christum & salutem amittat? affirmabunt Lutherani, negabit *Bossuetus*. Non jam disquivo, an hic in talibus se prodens dissensus capitalis sit? sed hoc tantum dico, id hinc patere sole meridiano clarius, non obstantibus *Bossueti* declarationibus & mitigationibus, dissensum inter nos & Pontificios, quibuscunq; terminis & verbis de eo loquaris, ne in minimis quidem imminui, sed ubique infesto quasi bello conflictantem permanere.

§. XIX. Sed quid dicendum est ad concessionem imputationis meriti Christi, quam ex libro *Bellarmini* II. de Justif. c. 10. produxit non minori cum specie **D. JOH. FABRICIUS**, novissimus Irenarcha in Confid. var. Contr. p. 293. Verba *Bellarmini* sunt: *Dicitur Christus justitia nostra, quoniam satisfecit Patri pro nobis & eam satisfactionem ita nobis donat & communicat, cum nos justificat, ut nostra satisfactio & justitia dici possit. Nam etiamsi per justitiam inhaerentem vere justii nominemur & sumus, tamen per eam non satisfacimus Deo pro culpis nostris & poena æterna, sed*

C

illa

illa justitia inherens, cum remissione culpæ & sempiterna pœna effectus satisfactiōnis Christi, quæ ut dicit Conc. Trid. Sess. 6. c. 7. nobis in justificatiōne confertur & applicatur. Et hoc modo non esset absurdum, si quis diceret, nobis imputari justitiam & merita, cum nobis donentur & applicentur, ac si nos ipsi Deo satisfacissemus, modo non negetur esse præterea in nobis justitiam inherentem, eamq; veram & absolutam esse justitiam, cui justo Dei judicio, non debeat pœna, sed gloria. Ecce, non est absurdum juxta Bellarminum, ut dicatur nobis imputari meritum Christi. Habes ipsam imputationis vocem. Quid velimus aut desideremus amplius?

§. XX. Sed vero concessæ ad speciem huic imputationi non minori virtute objectantur ea omnia, quæ in imputatione Becaniana desiderata fuerunt. Nam I. Ipse Bellarminus disertis verbis fatetur, hætenus tantum imputari & communicari nobis satisfactionem Christi, quatenus hæc efficit inherentem justitiam, una cum remissione culpæ & pœnæ nobis debitæ. At vero secundum Lutheranorum doctrinam imputatio justitiæ Christi intrinsece constituit justitiam coram Deo, non extrinsece aliam justitiam efficit, quæ coram Deo justus simus. Dico quæ coram Deo justus simus. Ea enim morum justitia, quæ justitiam imputatam in homine justificato ex grati animi lege consequitur, non pertinet ad justitiam coram Deo, sed coram hominibus. Jac. II. 18. Justum enim est tantum beneficium agnoscere & bonis operibus testari Matth. V. 16. Quemadmodum captivus alterius pretio è carcere liberatus libertatem non consequitur per justitiam, in libertate demum ab ipso effectam, sed per meram nudamq; alterius satisfactionem captivo adplicatam. Et si captivus liber factus, ex memoria accepti beneficii, justitiæ (ob cujus neglectum in captivitate detrusus erat) studet, id non ad formam libertatis, quæ unice ab imputatione alienæ solutionis dependebat, sed ad ejus consequens pertinet & effectum. Quis enim unquam audivit, captivum illum in libertatem redactum, liberum esse formaliter ob virtutes in acquisita libertate exercitas? Declaratur autem coram hominibus justus, si grati animi effectus videant, ex memoria accepti alieni pretii profluentes. II. Animum suum à sententia Lutherana alienum Bellarminus manifestissime prodit, cum ait, *justitiam inherentem veram esse* (in oppositione nempe ad imputatam, quæ non sit vera, sed ut alibi loquitur, imaginaria, chimerica, putativa) *& absolutam justitiam, cui justo DEI judicio non debeat pœna sed gloria.* Ergo juxta Bellarminum de justitia nostra imputata dici non potest, quod justo Dei judicio ei non debeat pœna sed gloria, Quid est prodere animum ab imputata Christi justitia alienum

lienum, si hoc non est? Id quod & III. amplius ex eo elucescit, quod idem *Bellarminus* à *D. FABRICIO* p. 291. allegatus ex Concilio Trid. distinguat inter id, propter quod Deus hominem in gratiam recipiat, quod denotet causam meritoriam, & per quod homo justificetur; illud esse Christi meritum extrinsecus imputatum, hoc vero esse ipsam justitiam inhaerentem, à Deo per Christum donatam. Ac si in simili eodem, quo antea usi sumus, diceres: in captivo per alterius precium ex captivitate liberato, distinguendum esse inter id, propter quod ille liberatus sit, quod sit pretium ab altero numeratum, tanquam causa extrinseca, & inter id, per quod liberatus sit, quod sint virtutes libertatem consequentes. Quid autem absurdius unquam aut fingi aut excogitari potest? An enim captivus per virtutes libertatem consequentes liberatus est, aut justitiam consecutus? an in pari, homo Christi merito ex inferno liberatus, per virtutes justus factus est coram Deo, quas post liberationem exercuit? Apage stultitiam istam, homine vel mediocri rationis usu instructo indignam. Neque IV. hanc *Bellarmini* causam juvat, quod *FABRICIUS* p. 292. distinguit cum eo inter causam formalem intrinsecam, quæ sit, quæ rei inhaerent, & meritoriam, quæ extra rem ipsam existat, conceditque Christi justitiam esse causam meritoriam & externam justificationis, justitiam vero inhaerentem causam esse intrinsecam, seu formam internam, per quam homo interne fiat justus. Nam justificatio nostra plane non est actus physicus & homini internus; quemadmodum cum captivus soluto externo pretio justus pronuntiatur, nihil plane intervenit formæ physicæ, per quam justus fiat, sed tota justitiæ ipsius ratio & essentia in mera forma, extra eum, qui justus pronuntiatus est, posita consistit. Stupidum esset, intra talem hominem formam aliquam quæerere, ex qua & per quam justus sit & habeatur. cum ratio justitiæ ipsius in mera imputatione justitiæ & solutionis extra ipsum positæ, consistat. Et hæc ratio est omnium aliarum rerum, quæ in morali affirmatione, immoto fundamento nixa, consistunt. Cum enim Princeps carnificem jubet occidere hominem innocentem, aut canem concitat ad eundem dilaniandum, neque carnifex neque canis est homicida, gladii pœnam promeritus, sed solus herus & Princeps, etsi nulla prorsus in eo forma sit physica, ex quo homicida appellari potest. Ita in homine Theologicè justo, nulla prorsus forma est interna, ob quam justus sit, aut pro justo haberi debeat, sed omnis justitiæ ipsius essentia in mera nudaque externi meriti imputatione consistit. Quod si dixeris: in homine Theologicè justo utique reperiri justitiam internam & physice in-

existentem, tum responderetur, ea vero non est illa, propter quam justus coram Deo pronuntiatus est, sed quia grati animi signa erga eum, qui pretium pro ipso solvit, quod iustitia ab ipso requirit, seu quod iustum est, edit. Quod exemplo captivi paulo ante declaravimus.

§. XXI. Constat ex his, nihil prorsus allatum à *D. FABRICIO* esse, quo consensus doctrinae Pontificiae cum Lutherana probari possit, quin in *Bossueto* jamdiu fuerit protritum. Ut adeo frustranea sit ejus conclusio, p. 296. *controversiam de formali causa justificationis* (ceterae autem omnes ad hanc tendunt, neq; de iis separatim dici necesse est) *non tam rem ipsam quam terminorum variam acceptionem concernere*. Quam cassa autem sint haec blandimenta & inanium fomenta imaginationum, ex iis, quae dicta sunt, abunde patebit. Indignum autem Lutherano Theologo est, quod subicit: *Quotusquisq; est, qui satis recte intelligit, in quonam consistat practica ratio formalis justificationis?* Si enim satis recte intelligitur, in quo consistat ratio formalis seu natura interior & indoles quorumlibet aliorum actuum, ubi intercedente alterius vel intercessione vel pretio delinquens ex reatu obligationis ad poenam eripitur & pro iusto reputatur, cur non intelligat, in quo consistat ratio intima justificationis hominis peccatoris coram Deo, aeternae damnationis rei? Quippe quae centies in sacris redemptionis ex reatu peccati & carcere infernali negotio comparatur. Deniq; ridicula est comparatio, quam adjungit: *si homines quidam simbria vestimenti Christi sanati fuere, an quaso necesse erat, ut scirent, in quo genere causa simbria sanasset? Nonne satis erat scire & credere, sanitatem à contactu simbriae provenisse? Satius erit habere justitiam coram Deo & hominibus, quam de ea contentiose & sub ambiguis terminis disputare.* Cur vero non iisdem quaestiunculis exerceat eos, qui specialiore mysteriorum rationem, quantumlibet revelatam, inquirunt & ejus credendae necessitatem propugnant? Cur non aequè dicas: nonne satius erat, scire & credere, in Christum esse credendum, quam rimari cur in eundem sit credendum, aut an credendum sit in eum, ut Deum, vel ut hominem? Itemq; quid sit credere in Christum? Nonne satius est virtuti & bonis operibus studere, quam contentiose disputare, quid sit bonum opus, & quomodo ab operibus electitiis, bonorum operum speciem mentientibus, discernatur? Quod si sub ambiguis terminis disputandum non est, plane disputandum non erit, cum ne terminus quidem philosophicus ullus, sed ne quidem vox ulla sit, ne quidem Scripturaria, quin ambiguitati sit obnoxia. Si de mysteriis fidei & vitae Christianae institutis, ut veritatem eorum exquiras apud eum, qui

linguae

linguæ Hebrææ Græcæq; gnarus est, contendas, ambiguitates vocum Hebræarum & Græcarum evolvendæ, verusqve ex iisdem sensus indagandus est; quidni idem faciendum sit, quando cum Pontificio, Philosophicis terminis adfucto, mihi res est, ut terminorum ambiguitates terminis pariter philosophicis ante omnia removeam, ne in re ipsa, sub terminorum involucri latente, decipiar & veritatis loco errorem amplectar? Anne satius est, latentibus sub verborum ambiguitate erroribus liberrimum indulgere cursum, quam contentiose disputando veritatem in apricum deducere & intellectum ab errore liberare? Deniq; eos, qui per contactum fimbriæ à Christo sanati fuerunt, non credo fungos fuisse aut buccones, qui vel ignoraverint vel non attenderint, ex quali virtute cum contactu conjuncta sanatio ipsorum proflexerit. Id si scire neglexissent, fides ipsorum, quæ notitia est, eos salvos non fecisset. Sed hic Syncretistarum & Indifferentistarum mos est, ut omne de veritate scrutinium subterfugiendo latissimam quidlibet credendi licentiam aperiant, & isthoc pacto, dicente Christo, in æternum exitium præcipitent.

§. XXII. Redimus ad *Bossuetum*, qui cum vidisset, distinctionem Lutheranorum de justificatione coram hominibus, quæ intuitum operum pati potest, & de justificatione coram Deo, quæ, quia delicta infinitam poenam merentur, non potest inniti nisi infinito merito, Pontificiorum opinioni de justitia operum inhærente vehementer obesse, obvertit: etiam eam justitiam quæ in nobis est, esse veram justitiam coram Deo, quippe ope Spiritus S. à Deo charitatem in cordibus nostris diffundente, effectam. Ex quo ita concludere cupit: quæcunq; justitia etiam coram Deo est vera, ea coram tribunali Dei valet, ad hominem justum coram Deo faciendum. Atqui justitia inhærens talis est. Ergo.

§. XXIII. Sed vero nos non negamus, etiam inhærentem justitiam seu virtutes hominis renati, veram justitiam sive veras virtutes esse, sed hoc tantum dicimus, hanc veritatem ad hominem e statu iræ submovendum & in statum gratiæ deponendum coram Deo non sufficere sed requiri, ut justitia illa sit infinita. Res per simile liquidissime patecet. Pono hominem vitiis infamem, poenamq; mortis promeritum, qui veniam à justitia seculari, ob satisfactionem ab amico præstitam, novumq; ad quælibet beneficia aditum, nullo suo merito, nulloq; futuræ emendationis respectu impetret, quem tamen beneficii hujus memoria ad vitam rectius agendam instiget atq; traducat. Hæc ipsa recte actæ vitæ justitia, vera æquidem coram judice est justitia, in quantum ad justam virtutum regulam conformata est, sed non tamen est

ea iustitia, in qua absolutio ejus à poenis perpetratorum scelerum & restitutio in pristinam gratiam, quæ est quædam justihabitio, consistit. Nec enim iudex hanc, quamlibet veram, iustitiam ante oculos habuit, cum eidem peccata condonaret, & aliorum iustorum numero, ut iisdem cum ipsis beneficiis frueretur, iterum accenseret, sed unice & in solidum iustitiam & satisfactionem alienam. Ita prorsus cum justificatione nostra res sese habet. Itaque limitata majore: quæcumque iustitia est vera iustitia, ea, si sit infinita & placanda Dei iustitiæ infinitæ suppar, coram tribunali Dei valet, ad hominem peccatorem, infinitam poenam commertum, iustum iterum coram Deo pronuntiandum, minor negatur & totum argumentum corrui.

§. XXIV. Tandem cum *Bossuetus*, memor, quod iustitia inhærens, quamvis vera sit, tamen sit imperfecta, ad *Augustini* dictum confugit: *nostra in hac vita iustitia magis constat remissione peccatorum quam perfectione virtutum*; adeoque id velle videtur: quoniam homo coram tribunali divino non possit consistere, propria merita, de quorum perfectione semper dubitare necesse habet, allegando, (qua in re secundum ipsum formaliter iustitia consistit) tamen posse consistere in iustitia remissionem peccatorum apprehendente, qua in re secundum plerosque Pontificios antecederet justificatione nostra consistit; quoniam alii dicant, justificationem duas res continere, insolubili societate conjunctas, remissionem peccatorum & donationem gratiæ seu iustitiæ inhærentis; de qua diversa loquendi ratione, ex eo enata, quod Conc. Trid. unicam esse formam justificationis asserat, videatur *GUILL. FORB.* in *Conf. mod. l. c. c. 4. §. 2. p. 59. f.* tum tria ipsis merito obijciuntur. I. Quod remissio quidem peccatorum hominem securum reddere queat, de non sustinendis peccatorum poenis, quibus alias fuisset obnoxius, non autem possit in iudicio & coram tribunali divino eundem certum reddere de spe adeundæ vitæ æternæ. Nec enim etiam in iudiciis secularibus, cui peccatorum venia facta est, & cui relaxata sunt scelerum poenæ, ei statim aditus vel ad priora vel ad ampliora beneficia patefactus est. Quare Christus pro nobis non tantum patiendo poenas nostras sustulit, sed & agendo uberiora beneficia meruit. Quemadmodum itaque in justificatione credendo & apprehendendo passionem Christi à peccatis absolvimur: ita recipiendo actiones Christi meritorias, i. e. iustitiam ejus nobis applicando spem vitæ æternæ consequimur. Ut autem ibi remissionis peccatorum certitudinem generat præstita pro nobis passio Christi: ita hic vitæ æternæ certitudinem iustitia Christi activa. Quemadmodum autem porro per passiones nostras remissionis peccatorum certi esse non possumus,

possimus, neque illæ passiones propriæ ad primum illum justificationis actum, qui est remissio peccatorum, ullo modo conducunt, multo minus justificatio nostra, quoad illam primam partem, in ea essentialiter consistit: ita per virtutes & actiones nostras proprias gratiæ divinæ & vitæ æternæ certi esse non possumus, neque illæ virtutes & actiones ad secundum justificationis actum, qui est iustum & Deo acceptum esse, ullo modo conducunt, multo minus justificatio nostra quoad posteriorem illam partem in ea essentialiter consistit. Necesse itaque est, ut quemadmodum propter passionum nostrarum infirmitatem ad obtinendam peccatorum remissionem, passioni Christi, qui poenas illas perfecte sustulit, inniti debemus: ita ob operum nostrorum infirmitatem ad obtinendam justitiam vitæ æternæ, merito Christi, qui vitam æternam perfecte nobis acquisivit, innitiamur. Ex quo patet non sufficere, quod sufficere existimavit *Bossuetus*, in casu infirmitatis propriæ justitiæ ad solam peccatorum remissionem confugere. II. καὶ δ' αὖθις αὐτῶν argumentamur contra Pontificios hunc in modum: In quocunque consistit formaliter justificatio nostra, in eo magis consistit justitia nostra, quam in quo formaliter non consistit, sed tantum antecedenter, vel quocunque alio modo. Atque in virtutibus formaliter consistit justitia nostra secundum Conc. Trid. Ergo justitia nostra in hac vita magis constat virtutibus quam remissione peccatorum, in qua illa constat tantum antecedenter, vel quocunque alio modo. Conclusio *Bossueti* è diametro contradicit. Minor est Concilii Trid. Major, quam primum auditur, adeo clara atque evidens est, ut nec *Bellarminus* vi hujus veritatis convictus negare potuerit, lib. II. de Justif. c. 6. Sect. Primum ergo, qui ideo scribit: *Hic*, nempe Rom. IV. ult. *Apostolus nomen justificationis potius tribuit renovationi interna, quam remissioni peccatorum, ac per hoc docet justificationem non modo non constare sola remissione peccatorum, sed neque præcipue eâ constare.* Quamquam alibi sui scilicet oblitus *Augustini* dictum, qui contrarium profiteri videtur, pariter comprobet. Quæso te, quomodo dicere possum: justitiam nostram magis constare remissione peccatorum, quam perfectione virtutum? Cum in virtutum exercitio præcipue, formaliter, adeoque unice (cum secundum Conc. Trid. hæc unica sit justificationis forma) consistat, remissio vero peccatorum vel veram hanc justitiam præcedat vel comitetur? Nam quomodo illa ad justificationem pertineat, ut pars, nec ne, apud Pontificios ea de re infinitis opinionibus altercantes, nunquam ad liquidum deducetur. Quomodocunque vero tandem illa ad justificationem pertineat, non tamen pertinet ut forma. Quomodo itaque magis justitia nostra in ea consistere potest, quam in virtutibus,

tutibus, quæ sunt forma & anima justificationis nostræ? Anne in aliqua re homo magis ac in anima rationis particeps, quæ forma ipsius est, consistere potest? Nempe his sese difficultatibus involvunt, qui a veritate semel recesserunt. Denique III. nondum extra controversiam positum est, an *Augustinus* dicendo: *justitiam nostram magis in remissione peccatorum quam in perfectione virtutum consistere*, id copulative intellexerit, ut nempe in utroque existimaverit consistere; an vero adversative, ut nempe senserit, in remissione peccatorum nostrorum, non autem in perfectione virtutum consistere. Quo pacto eundem interpretatur, *Dav. Parens*, quanquam eidem ideo vehementer succenseat *Forbesius*, causeturque, non potuisse *Augustini* verbis majorem vim à quoquam inferri, L.I. Conf. pacif. cap. ult. l. f. Nec vero addit *Forbesius* ullam rationem, cur suæ religionis socium tam severo judicio castiget.

§. XXV. Ex quibus judicatu facile est, quid de iis, quæ *FABRICIUS* præter ista, quæ à *Bosseto* allata sunt, quæque vel ad formam justificationis vel certe ad internam ejus rationem spectant, sit sentiendum. Ait p. 290. *duo esse in quovis peccato, à quo in judicio DEI justificandi sive absolvendi sumus, vitium & supplicium; illud tolli imputatione justitiae Christi, hoc remissione peccati. Proprie namque poenam remitti, quando culpa non imputatur.* Quæ quorsum tendant, an ad consensum demonstrandum, an ad dissensum, Lynceis oculis sit instructus, qui videat. Si vero de re ipsa sit judicandum, quam frustranea est in justificatione vitii & supplicii disseparatio? Quasi verò justitia Christi, quæ nobis imputatur, non completeretur ipsa & vitium & poenam! Quicquid enim Christus nostri causâ locoque in se suscepit, inque corpore suo sustinuit, 1. Petr. II. 24. id nobis imputatur: At & vitium & supplicium in se suscepit. Nec etiam in vicaria illa passione aliter fieri poterat. Nam & fidejussor debitum non minus in se suscipit quam solutionem debiti, quod utrumque etiam debitori imputatur. Ad quid itaque inutilis hæc divulgatio, nisi ut res intricata magis reddatur, ut dubium esse appareat, quæ in re concordia inter nos sit vel discordia.

§. XXVI. Deinde fuse in id elaborat p. 292. ut illam Pontificiorum distinctionem inter causam formalem justificationis intrinsecam, quæ & formalis verè & absolute dicatur, quæ non possit non consistere in justitia in hærente; & inter formalem causam extrinsecam, seu meritoriam, quæ utiq; homini imputetur, tanquam veram justitiam antecedentem, commendet. Quam in rem plures à Pontificiis allegat, proximeq; eos ad nos accedere

cedere existimat. Quæ quæ cerebrina sit persuasio, nec in negotio acquisitæ ex mera gratiâ ob alterius satisfactionem justitiæ locum ullum in ulla simili materia inveniatur, in antecedentibus sole clarius ostensum est. Atque hoc præmissis, ad consensus specimina progreditur. Utpote pag. 294. quod Pontificii concedant I. *Verbum justificare sæpe in Scriptura sumi modo forensi, ut idem significet ac justum declarare & pronunciare.* Quod cum asserant nonnulli Ecclesiæ Romanæ scriptores, iisdem, quibus FABRICIUS, conciliationibus dediti, alii è contra Concilium Tridentinum secuti insciantur. Nec verò unquam quæstio fuerat, an justificationis vox aliquando, extra negotium, quò coram DEO, à peccatis nostris accusati & condemnati, justii pronunciamur & sumus, sed an in hoc ipso constituti, modo forensi justificemur? Quod Pontificii omnes, ne uno quidem excepto, negant, & negare non possunt, nisi deserere Concilii sui decreta velint. II. *In omnibus Scriptura locis, in quibus agitur de sola remissione peccatorum, quæ consistit in concessione veniæ & liberatione à reatu & pœna, vocem justificationis infusionem justitiæ inhaerentis, tanquam medium liberationis non includere.* Hoc verò qui ex coctu Romano cum Lutheranis concedunt, cur tam stupidi sunt, ut cum Concilio Tridentino amplius quid ad justificationem requirant? Ut enim Titius, qui promissam debitamque mille imperialium summam creditori injustissimè haud solvit, si hæc solvatur ab alio, fecisse judicatur, quod justitia requirit, id est, pro justo reputatur, neque amplius quid ab ipso requiritur, & si ingratum erga benefactorem animum novis injustitiæ speciminibus prodiderit, id neque ad injustitiam priorem, neque ad justitiam posteriorem referendum est, sed Injustitia planè nova contrahitur: ita & cum homine peccatore coram DEO justificato comparatum esse ex se intelligitur. III. *Justificationem in sensu forensi veram esse justificationem & ita cum Scriptura rectè appellari.* An igitur vera justificatio esse potest, cui deest forma justificationis vera intrinseca & absoluta? Quam ad justificationem veram requiri paulò ante ex iisdem *Walenburchiis* asseruerat FABRICIUS? An verus homo esse potest, qui formâ hominis verâ, absolutam, & intrinsecam destituitur? Non debent fascinari oculi legentium, ne id se non videre putent, quod non videre non possunt. IV. *Peccata nobis non remitti propter infusionem gratiæ inhaerentis, sed propter imputatam Christi justitiam.* Sed verò hoc non sufficere juxta Lutheranos ad justificationem, sed requiri præterea,

D

ut

ut per eandem iustitiam imputatam habeamur & simus verè & absolutè iusti, sine omni respectu ad futuram virtutum iustitiam, non ignoraverat, saltem ignorare non debebat *FABRICIUS, V. Verbum iustificare in Scriptura nonnunquam pro renovatione per virtutes sumi. Utpote Esa. LIII. 11. Dan. XII. 7. Apoc. XXII. 2.* Equidem id censuerunt veteres Theologi, quamquam cum differentia quâdam; de quo fuse & ex instituto egi in *Philocaliâ*, Theol. Bibl. §. XIX. à quibus recentiores ob invictas rationes recedunt, ut eo ipso loco probatum. Sed quæ consequentia est: vox Dei aliquando in sacris pro DEO nuncupativo accipi Lutherani admittunt. Ergo hac in re cum Socinianis Lutherani consentiunt? Ergo tanta inter Lutheranos & Socinianos doctrinæ de Divinitate Filii Dei non est distantia, ut quibusdam rigidis persuasum fuit? VI. *Rectè dicit, quod fidelibus donetur seu imputetur Christi iustitia & obedientia.* Nempe eo ipso, quia imputari idem esse volunt Pontificii, quod donari, dissensum suum potius à nobis, quam consensum nobiscum produunt. Donari enim est rei physico & reali modo sese habentis, imputari, moraliter. Aded fraudem tegere nunquam possunt. Solâ imputatione morali hominem justum coram DEO reddi, non donatione iustitiæ physicâ Lutherani contendunt. VII. *Hominem à peccatis absolutum ab imputata Christi iustitia non quidem intrinsecè, extrinsecè tamen iustum denominari.* Qui debitum per alium solvit, is non extrinsecè tantum, sed proprie, verè, intrinsecè, quamquam morali æstimatione, iustus est, i. e. non à debito tantum absolutus, sed verè iustus, quia non amplius ullius iniustitiæ, intra ipsum latentis, accusari potest, h. e. ex injusto iustus factus est. Si denuò debitum, cui non est solvendo, contrahat, redditur iterum iniustus, internè & externè, donec solvat debitum, aut per se aut per alium. Ut summatim dicam, iustitia morum, iustitiam imputatam sequens, non ad justificationem à peccatis præsentem, sed novam, de quâ non est questio, spectat. VIII. *Si justificatio accipiatur in sensu forensi, pro remissione peccatorum, tunc sensum non esse, quod per eam donetur iustitia inherens.* Primò quid hoc ad rem? Deinde dicendum fuerat, unâ cum remissione peccatorum donari iustitiam imputatam, quæ tanti immò majoris valoris sit, quanti est inherens. Quod negant Pontificii, quia imputata iustitia ipsis non est formaliter, VERE, NB. verè, & absolutè juxta ipsum *FABRICIUM* iustitia. Si non verè, ergo falsò est iustitia. IX. *Sanctificationem differre quidem à justificatione, sed non ab omni.* In-

telli.

telligitur hoc ex membro hujus consensus quinto. Cum ibi recensita hypothesis falso nitatur principio, & hanc consensus partem merum somnium esse ultro intelligitur. X. *Justitiam inherentem non esse propitiationem & pretium pro peccatis & damnatione aeterna.* Est tamen juxta Pontificios meritum vitæ æternæ, quod nobilius quid est, quam pretium pro peccatis. XI. *Justitiam inherentem non esse putativam, sed veram justitiam.* Sed secundum Pontificios hæc inherens justitia sola est vera, formaliter & absolute. Imputata est falsa, (quicquid enim non est verum, id est falsum) imaginariè tantum & putativè talis. Adeò nec ipsi pacificatores fraudem suam, utcunqve velint & laborent, tegere possunt. XII. *Justitiam inherentem omnibus numeris & absolute perfectam non esse, quamquam verè & substantialiter perfecta sit, sicut infans substantialiter perfectus est homo.* At verò justitia inherens ad articulum de Justificatione plane non pertinet, quomodo itaqve vel consensus vel dissensus in illo ad conciliationem inter nos & Pontificios quidquam facere potest. Sed verò debet numerus eorum, in quibus consensus querendus fuerat, multiplicari & coæquari Apostolorum numero, ut vel hinc etiam color inlinito Fabriciano obduceretur. Ad eum prorsus modum, quo & JO. DEZIUS, Argentoratensis, in omnibus Confessionis Augustanæ articulis consensum utriusque partis ad grandem plerumque extendit copiam, dissensum ad exiguum numerum contraxit. Credo omninò, utriusque, & DEZII & FABRICII finem fuisse eundem, ut nempe ad catholicam Ecclesiam Lutherani adducerentur.

§ XXVII. Postremò ad jactatum à se consensum verosimiliorem reddendum FABRICIUS ad magni nominis Theologos provocat, qui judicant, controversiam de formali causâ justificationis non tam rem ipsam, quam terminorum variam acceptionem concernere. E quorum numero nominat Tapperum, Forbesium, Walenburchios, Veronium, Volusium, Ferrium, Melanthonem, Georgium Calixtum, Fridericum Ule. Calixtum & Conradum Durrium. Cur verò non his tantis in utraque religione viris & heroibus addidit Landgravium Ernestum, Georg. Wicelium, Er. Roterodamum, G. Cassandrum, Henricum Marcellium, Jac. Ben. Bossvetum, Jo. Dezium; Christ. Dreierum, Mich. Behmium, Jo. Latermannum, Mich. Pratorium, Jo. Phil. Pfeifferum, aliosque veritatis obfuscatores? Quorum ut illi à totâ Synagogâ Pontificiâ, ita hi à totâ Ecclesiâ Lutheranâ uno ore rejiciuntur.

D 2

§. XXIX.

§. XXIII. Intueamur verò epilogi loco, quæ *J. CONR. DURRIUS*, in noviter à *FABRICIO* productâ Epistolâ & paginæ Considerationum quadringentesimæ sexagesimæ tertiæ insertâ, pro mitigandâ Pontificiorum in hoc articulo doctrinâ in medium adfert. Urget itaque I. juxta ipsam Aug. Confessionis Apologiam, semper mansisse sub cœtu Romano apud aliquos pios cognitionem Christi. Flacium item & Hunnium in quibusvis seculis quosdam produxisse testes, de veritate in hoc articulo testantes. Qui cum non sint unquam à Romanâ Ecclesiâ reprobati, indicio id esse, non ita corruptelis hodiernis, si qui sint, eandem adherere, quin Lutheranam doctrinam in ipsâ Ecclesiâ suâ liceat amplecti. II. Retineri à Pontificiis in hoc articulo ea, quæ ad fundamentalia ejus pertineant, Deum nempe justificare nos ex gratiâ propter Christum, remittere nobis peccata & Christi nobis justitiam donare. Et quamquam III. causæ justificationis instrumentali nempe fidei, adjungant timorem, spem, charitatem & poenitentiam, tamen per hoc non directè destrui prius illud fundamentum, sed illasum conservari. Ad hæresin autem & condemnationem requiri, ut doctrina aliqua fundamentalis directè, non indirectè, negetur. Idq; eò magis, quia IV. experientia testetur, à propriis meritis in ipsâ praxi Pontificios confugere ad passionem & meritum Christi, operum rarâ aut nullâ, ut hodie se quidem habeat Ecclesia Romana, factâ mentione. Ita enim illos consolari moribundos, ut vetera pariter & recentia Agenda, à *D. CALIXTO* producta, testentur. Provocare ad hunc morem *D. ÆGID. HUNNIUM*, atq; idèò disertis verbis testari in Præf. ad *Quest. & Responf. de Eccl. Articulum de Justificatione sub Papatu integrum servatum esse*. Si etiam Pontificii V. variis aliis superstitionibus & additamentis, verbo Dei manifestè repugnantibus articulum de justificatione obscurant, interpolentur & corrumpant, id facere eos vel occupatos erroribus intellectus, qui fascinatùs sit præjudiciis Ecclesia tam ampla, antiqua, florentis, quam tot Imperatores, Reges, Principes, nec non viri auctoritate & eruditione eminentissimi à tot annorum centuriis colant, venerentur, tueantur; vel amplexari errores illos, clarè à se agnitos contra conscientiam, relictis interius sentientem & nihilominus isti religioni, tot erroribus inquinata, adherere, percussos metu faciendæ jactura opum, existimationis aut alterius temporalis felicitatis, aut accensos spe commoditatum terrenarum. Errare igitur hos tales, sed bono animo, non odio, sed affectu Dei; honorare Dominum & amare credentes, ut olim dixerit *Salvianus Massiliensis*; super-

superq; fundamentum ædificare stipulas, ut loquatur Apostolus. VI. Si quis opposuerit, hâc suâ sententiâ multis occasionem præberi deficiendi à verâ Lutheranorum doctrinâ ad superstitionem Papalem, eidem sese respondere, etiam ipsos discipulos Christi, doctrinâ ipsius offensos, ab eo defecisse. Qui deficiant ad Papæos, id eos facere ex merâ animi simplicitate, quia persuasum ipsis sit, æquè in Ecclesiâ Papisticâ voluntati Dei satisfieri & fundamentum salutis saluum retineri. Id nisi statuamus sentiamusq;, periculum nobis VII. imminere, ne ex pace Passaviensi excludamur, quæ præcipiat, daß ein jeder den andern mit rechter Freundschaft und Christlicher Liebe meinen solle. Id verò non fieri, si ἡλϞ ἀἡλϞ præditi ignem de cælo adversus Papæos poscentes, eosdem tanquam hæreticos condemnemus.

§. XXIX. De hac Durrianâ Epistolâ non immeritò judicant auctores innocuarum recensionum, ann. 1705. p. 361. *optandum esse, ut æternum sepulta fuisset.* Nec enim credo, ex quo tempore Ecclesiâ à fermento & idololatriâ Papisticâ ad saniores doctrinam reducta est, quemquam, etiam crassissimorum Syncrētistarum, immo etiam Pseudopoliticorum & omnis religionis empæctarum, eò progredi ausum fuisse, ut religionis nostræ, quæ sola præstat salutem, sanctitatem puritatemq; tam impudenter prostitueret. Deoque sunt agendæ gratiæ, quod hodierni in Ecclesiâ Altorfina doctores ejusmodi, non dicam teporem, sed fœdam, quæ erga Anti-Christianum regnum proditur, adulationem, Christianâ sinceritate detestentur & ad orcum condemnent. Debebat autem publicatione hujus epistolæ, quam *Durrius* saltem ex pudore, dum viveret, nunquam edidisset ipse, animum suam à Lutherano candore alienum, quodq; omnes in Imperio Romano religiones æquo judicio æstimet, prodere *D. FABRICIUS.*

§. XXX. Audiamus verò & expendamus viri rationes. I. Allegat tolerantiam Lutherana de Justificatione doctrinæ in ipso Papatu, cum antequam post Lutherum. Quomodo verò tolerata fuit ante Lutherum in Rom. Ecclesiâ, Lutherana de justificatione doctrina, cum testes hujus veritatis in Waldensibus aliisque ferro flammisq; fuerint ex Rom. Ecclesia proscripti? Testenturq; de fide justificante Confessores nostri in Apologia, *al-tum fuisse in Papatu ante Lutherum de fide silentium?* Et quæ hodie tolleretur, cum in Concilio Tridentino per duplex anathema ex cœtu Romano fuerit exacta? Quam stupidum verò est, testes veritatis pro superstitibus in Romana Ecclesia veritate allegare, qui hoc ipso testium veritatis nomine

veniunt, quia contra Rom. Ecclesiam testantur, ejusque detegunt errores? II. Causatur *Diximus*, retineri in Romanâ Ecclesiâ, quæ ad ipsam justificationis substantiam pertineant, quod ad consensum in fundamento sufficit. At verò ad ipsam justificationis substantiam utique pertinet, ut sola fide apprehendatur meritum Christi, removeanturque à toto hoc negotio opera, sub quocunque prætextu adscita. Ubi enim totum justificationis coram Deo negotium ex instituto describitur, Rom III. 23. scilicet ne verbo quidem ullo operum, quæ tamen ad internam justificationis essentiam requirit Concilium Tridentinum, sit mentio, è contra verò cum hoc loco, tum alibi frequenter à justificatione disertis verbis illa removeantur. Qui itaque ad fundamentalem justificationis rationem non pertineat? Qui ob debitum, justo tempore, quod tamen sanctè promiserat, non solutum, ob hanc injustitiam adversus proximum, quem eo pacto grandi damno affecit, commissam, in carcerem compingitur, alterius verò pro ipso solutione liberatur, eoque ipso justus redditur, quia proximo, quod suum erat, reddidit, an aliud justitiæ suæ fundamentum habere potest, quam vicariam solutionem? eamque à se apprehensam? Quod itaque in ipsa naturâ & essentiâ alienæ solutionis, quæ à Christo facta est, includitur, quomodo à fundamento justificationis ullo pacto excludi potest? Quod III. Syncretista inter id distinguit, quod fundamentum directè & quod indirectè subruit, & hoc quidem tanti momenti non esse existimat, ut pacem nos inter & Pontificios dissolvat, aut hos æternæ damnationis reos constituat; id partim frustraneum est, cum perinde sit, utrum fundamentum ædificii directè an indirectè destruat, dummodo destruat, & ratione omni careat paterfamilias, qui non utriusque malo, domus suæ fundamento insidianti, æque occurrat; partim ex dictis evidens est, directè destrui justificationis fundamentum, cum id ei adscribit, quod rationem ejus internam & essentialem, quæ in merâ acceptatione solutionis alienæ per fidem consistit, tollit, inque justitiam chimericam & putatitiam convertit, è contra in rationem profus contrariam quæ hominem VERE, INTRINSECE & ADÆQVATE justum reddat, convertitur. Sive itaque Lutheranam sententiam respicias, fundamentum Pontificiæ doctrinæ directè convellitur, in cujus essentiâ continetur intrinseca justitia, sine quâ non est VERA justificatio; sive respicias Pontificiam, quâ positâ fundamentum Lutheranae doctrinæ directè convellitur, in cujus essentiâ continetur merè extrinseca justitia, quæ sola vera est justificatio. IV. Si Pontificii in ipsâ praxi homines, in primis morientes, ad nudam Dei misericordiam, non

non ad opera aut merita propria, revocant, veritate quidem convicti Lutheranae doctrinae hac in re accedunt, sed idem Concilio Tridentino repudium non mittunt, neque mittere possunt, quod justitiam in propriis meritis quaerere jubet. Id igitur ex hac praxi sequitur, contradictoria docere Pontificios, modo essentiam verae justitiae, quae coram Deo comparere & vitae aeternae participes reddi queamus, in sola justitiae infusione seu propriis virtutibus consistere; modo eandem quaerendam esse in sola gratia Dei & merito Christi, spretis propriis operibus. Quomodo vero primam sententiam salvo Concilio Tridentino amplecti & sequi possunt? Unde & Romani Librorum censores praescriptam illam in quibusdam Agendis Ecclesiasticis instruendi consolandi; morientes methodum jamdiu est, quod correxerunt. Praxis praeterea agendi cum aegrotis in Breviariis, precumque innumeris libellis morituros ad efflagitandam sanctorum intercessionem, applicandaque sibi eorum merita revocat. Quo pacto unum corrigendo errorem, graviori adjiciunt calculum. Postremo quam fraudulenter pronunciat Durrius, testari. *D. AEGID. HUNNIUM: articulum de Justificatione sub Papatu integrum servatum esse.* In qua vero praefatione non alia comparent, quam haec sub finem verba: *Tanto certius de conservata sub Papatu Ecclesia statuimus, quod articulus de Justificatione, qui nostra salutis arx & sedes est, per viros pios Divinitus excitatos idem repurgatus, multoque purius quam in Romano Pontificatu hodierno fuit traditus.* Loquitur igitur & comparative, quod purior hoc in articulo fuerit Romanae ante Lutherum, quam hodiernae doctrina; & in medio praefationis illius mentem suam, clarius exponit: *quamquam non prorsus ex omnibus erroribus eluctari potuerunt, tamen dubium nullum est, quin iis ignorantia temporibus Deus illis, ut reliquas infirmitates, ita & errores residuos clementer condonavit, ipsaque retento fundamento salutis, Jesu Christo, ad aeternam beatitudinem sint conservati.* Quae vero comparatio est Romanae Ecclesiae ante Lutherum, profundis tenebris immersae, e quibus eluctari ob mediorum in tantaruditate defectum perdifficile fuerat, & in qua nihilominus plurimi majori veritatis luce collustrati fuerunt; cum Romanam Ecclesiam post Lutherum, ubi lux per Lutherum accensa studio fuit suppressa & fiducia in solum Christi meritum adversus peccata ponenda in Concilio Tridentino, operariam justitiam solam tanquam VERAM urgente, ad orcum fuit damnata? Potuit Deus, ut recte judicat HUNNIUS, sine malitia errantibus, & si occasio ipsis foret, veritatem cupidè recepturis, naevos condonare, non potest.

est iis, qui veriora addiscere in tanta luce facile possent, in tenebris delitescere malitiose malunt. Quod verò V. Pontificiorum hoc in articulo errores per id extenuare & emollire studet *Durrius*, quod Pontificiorum intellectus occupatus sit præjudicio Ecclesiæ tam amplæ, antiqva & florentis, tot regum principumq; auctoritate eminentis, quæq; & antiquitatis sese clypeo venerandam reddat; quodq; eidem adhæreant contra propriam conscientiam, interius rectius sentientem, itemq; ex metu jacturæ opum & existimationis, deniq; ex spe commoditatum terrenarum, id eque horribile est, à Theologo, inprimis Moralistâ, posse vel allegari vel urgeri. Ex his enim principis si excusatio aut patrocinium erroribus accedat, & Judæis & Gentilibus, quorum religiones maximorum Imperatorum, Regum, Principumq; auctoritate, antiquitatis item prærogativâ præ Christianâ nitebantur, quo minus Christiani fierent, venia indulgeri & promitti salus non minus, quam hodie ex dictato Durriano Pontificiis, & olim debuit & hodiernum poterit. Quid verò ad frivolum hanc excusationem Salvator? *Qui amat patrem suum & matrem suam*, (*Chemnitius in Harmonia: sub patris & matris nomine etiam magistratum & alios in eminentiâ & auctoritate constitutos intelligere debemus, ne hos Christo & Divino verbo præferamus*) supra me, me non est dignus. Jam an unquam inter ullum Christianorum genus auditum est, eum qui reluctante propriâ scientiâ & conscientiâ vel errat vel peccat, aut quando ex motu jacturæ opum, aut existimationis, aut spe captandæ utilitatis peccat, & quando errat, non odio, sed affectu Dei errat, (quod & faciunt Turcæ) excusationem potius, quam accusationem majorem promereri? Non credas, hanc pervasionem, nedum pervasionis instillationem, vel à semi Christiano, nedum à Theologo foveri posse. Cum has scelerum circumstantias peccata quælibet exaggerare potius, quam conciliare ipsis excusationem ab omnibus & omni tempore fuerit creditum. Sed ita justum fuerat, fœdas Syncretistarum artes ab ipsis auctoribus suis prodi & coram toto mundo profiteri. Non minus VI. perhorrescentiam quandam animo Christiano incutere apta est eâ apostasiæ à fide ad Papalem infidelitatem excusatio, quâ qui ad Papæos deficiunt, ex merâ animi simplicitate, quâ persuasum ipsis sit, æquè in Ecclesiâ Papisticâ voluntati Dei satisfieri & fundamentum salutis salvum retineri. Quasi verò eodem prætextu non utantur, quotquot vel ad Socinianos, vel ad Quackeros, vel ad Turcas, vel ad Judæos, vel ad Naturalistas, vel denique ad Atheos deficiunt. Poteratne
animam

animum Theologi, apud suos, dum viveret, haud vulgaris eruditionis fama celebrati, tam ἀλογῶς ratiocinatio introire, nedum eundem occupare? Sed, quæ scripturam, veritatemq; in eâ revelatam semel deserit, à Deo pariter deseritur, *proq; eo, quod amorem veritatis non suscipit, ut salvetur, propterea mittit illi Deus efficaciam erroris, ut credat mendacio. Ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed maluerunt injustitiam.*

1. Theff. II. IO. 11. 12. Deniq; VII. verè ζῆλῶς ἀζήλῶς est, si pro eo, quod amoris studiiq; quodam quasi æstu in conservandam defendendamqve Divini depositi veritatem ferri & ejusdem adulteratoribus os occludere debebamus, contrariâ æmulatione veritatis corruptores contra ejusdem fidei fratres & consanguineos, singulari in id posito studio, defendimus, eoq; ipso quibuslibet ad hæreses apostasiis latam aperimus portam. Quod vocat Apostolus ζῆλον ἔχον ἀλλ' ἔκείν' ἠπίγλωσσον Rom. X. 2. Nec verò ideò, quod anathema dicimus Pauli exemplo omnibus iis, qui aliud, quam quod ipse nobis commendavit, Evangelium obrudunt, quod Papæos facere non omninò negat *Durrius*, ignem de cœlo deposcimus, qui eosdem devoret. Nisi & hoc fecerit, qui tamen id prohibuit, Christus ipse, qui infernali exitio addixit Pharisæos & scribas, Matth. XXIII. 33. eosq; qui ad ipsos deficiebant, si vel ex gentilium cœtu fuissent, filios gehennæ factos esse edixit, v. 15. Cum tamen hi ipsi ad Pharisæos deficientes erraverint bono animo, non odio, sed affectu Dei, honorare se hac ad Judæos defectione Dominum & amare credentes, accensiq; spe commoditatum terrenarum. Quis verò credat, à Lutheranis Theologo proficisci posse ea, quibus epistolam suam concludit *Durrius*, quæque epistolæ publicatione sua facit *Fabricius*, verba: *Porrò, si de Pontificiis sentimus, quod fundamentum fidei integrum retineant, uti abunde, ni fallor, ostendi, atq; admittimus eos in numerum filiorum Dei & consortium hereditatis aeternæ, conformiter nos utique gerimus Pacto Passaviensi, daß ein jeder den anderen mit rechter Freundschaft und Christlicher Lieb meinen soll. Quod profecto non fieri puto, si dicamus, dogmata fidei ad salutem necessaria apud Pontificios non retineri, adeoque plerosq; Imperii Proceres & Status Imperii religionem eam amplectari, quæ à fundamentalibus fidei aberret. Quæ enim verè monstruosa sequela est: quisquis alterum vi Pacti Passaviensis verâ amicitia & Christiano amore prosequi tenetur, is & tenetur de eodem, ni Pactum hoc violare velit, profiteri, quod fundamentum fidei integrum retineat? Quasi verò non & ipsos*

E

magi-

magistratus gentiles eousque vero affectu & Christiano amore prosequi primi Christiani debuissent, ut & preces pro iisdem, proque felici regiminis successu funderent, 1. Tim. II. 1. 2. 1. Petr. II. 13. s. quos tamen religionem in fundamento falsam & damnabilem fovisse apud Christianos extra dubium positum est. Quibus verò argumentis *Durrus* confecit, Pontificios fundamentum fidei integrum retinere, iisdem ob confictam à se credendorum generalitatem Rhetorici apud Philastrium & Augustinum evincunt, *omnes hereticos bene sentire & neminem errare ex eis, sed ambulare bene omnes & male eos non credere.* Quod si verò Pontificii fundamentum in catecheticis doctrinis integrum habent, quomodo integrum retinere possunt, quando doctrinis aliis, catecheticis è diametro contrariis, illud subruunt & evertunt? Anne fundamentum domus integrum retinet, qui ligno quidem solido eandem superstruit, alio verò ariete non minus valido fundamentum concutit & è loco suo proturbat? Qui Christi quidem Justitiam nobis imputari & donariconeant, sed justitià demum proprià eandem veram, internam & adæquatam reddi & sine hac meram chimæram & somnium esse propugnant? Quà verò de re fufius hic disquiri opus non est.

§. XXV. Patet ex instituta hæcenus tractatione, quicquid vel veteres vel novi pacificatores pro qualicunq; doctrinarum, Pontificiæ & Lutheraniæ, in capite de Justificatione, consensu in medium attulerunt, ea vi nequaquam pollere, quam præferre vel simplicioribus vel profanis religionum contemptoribus videbuntur. Quæ vero præterea in novissimis Considerationibus suis vel pro consensu vel pro dissensu, qui eidem admodum exiguus est, & in mera fere verborum pugna consistit, fuscè attulit Syncretismi, ad apostasiam ducentis, Faber, ea, quæquam & ipsa accurati examinis limam nequaquam sustineant, ut tamen hoc loco examinentur, opus non est, cum nervus totius negotii in ipsa justificationis forma consistat, in qua *de dea verum* nos distare, luculenter, ut spero, demonstratum est. Ipse enim *Fabricius* pag. 291. laudat illam *D. HUTTERI* gnomen: *Quod si de causa formali justificationis utrinque conveniret, omnis profecto reliqua controversia ultra expiraret.* Nihil igitur amplius superest, quam ut votum Servatoris nostri repetamus: *San-*

ctifica nos, o DEUS, in veritate tua, verbum

tuum est veritas!

☉)(○)(☉

Ad
Nobiliss. & Clariss. DN. RICHTERUM
Domesticum meum charissimum.

RX quo ædes meas incolere cœpisti, RICHTERE doctissime, tantam e vestigio in Te ad quodlibet sacrorum studiorum genus, non perfunctorie sed solide excolendum, animi Tui propensionem animadverti, ut non passibus progredi sed cursibus videreris. Nec enim tantum quidam Tibi ingenii ad præclara quælibet impetus & in prosequendo rei optimæ proposito immobilis constantia, sed & ea de iis, quæ legendo imbibisti, judicandi dexteritas & eloquendi promptitudo, ab optimo Numine concessa est, ut quo alii labore & molestia enituntur, Tu vel solis honestorū conatuū illecebris elucteris. Hæc DEI deposita in Te munera non æstimas tantū comperta vitæ innocentia, de qua, cum quotidie coram oculis Te meis intuear, omnium optime locupletissimeq; testari possum, sed eundem animum posthac quoq; quocunq; locorum deveneris, geres, ut DEO, sine quo nihil solidi fructus acquiri posse non ignoras, Te pectusq; Tuum probes, ut optimum Parentem, qui omnes vires suas in Te ornandum provehendumque impendit, ingenua voluptate recrees, ut quicquid sacrarum divitiarum in ingenii Tui sinum congeres, in Ecclesiæ reiq; publicæ utilitatem commo- dumq; exponas. Scr. Rostochii die xxx. Sept. MDCCXI.
JO. FECHT. D. Disputat. Tuæ Præses.

TU verò, RICHTERE, paras Tibi condere famam,
Doctrinamqve simul cum pietate DEI.
O quantum fuerit rectæ Tuæ ab indole mentis,
Si, quod cœpisti, pergere tendis iter!
Nō potius sacraque fide, pietateque sancta,
Hæc Tibi dat laudem, donat at illa DEUM:
Quæis dum doctrinæ conjungis culmina lætus,
Fulgidus in terris mox eris, atque polis.

Ergo

Ergo continues conamina pulcra: nec obset,
Quidquid Te Verbo demere (turpe!) volet,
Et fuge ceu pestem fallacia Libertatis
Signa mala in vita, dogmatibusq; malis.

Gratulabunda mente scr.

JOH. PETR. Grünenberg/ D. Confil. Consiſt. PP. & Superint.

Hactenus in varias Scrutator sedulus artes
Ingenii impendis semina pulchra Tut
Hactenus aeternae divina fluentia Sionis
Combibis athereis pectora tinctus aqvis.
Sic age, perge Sacris JUVENIS CARISSIME Musis.
Et Titulos omnes post tua terga trahes.

Nobiliss. atque Clariss. DN. RICHTERO, Amico suo Honoratissimo gratulab. hac apposuit

ZACH. GRAPIUS, D.

Nobilissimo atq; doctissimo DN. RESPONDENTI

S. P. P.

Quartus jam abhinc annus est, Amice perdilecte, ex quo Temet intimius cognoscere, studiorumque Tuorum pariter ac vita apud nos acta testis esse potui oculatus, ut ajunt, atque auritus. Quantam in vera in excolendis laudabiliter studiis, ad scopum exoptatum ducentibus, adhibueris diligentiam, Venerandus Praceptorum Tuorum ordo non sine gaudio commemorare valet; sicut ego speciatim in theticis pariter ac anti-the-ticis, quae praelegendo examinandoque institui, Collegiis theologicis ut & lectionibus symbolicis, auditorem Temet conspexi diligentissimum, ad percipiendum non minus proposita, quam proferendam audita quae sitaque promptum ac alacrem, quin & in disputatoriis congressibus Respondentem ac mutata vice Opponentem providum acutumque. Quod ad vitae Tuae rationem spectat, commune illud sequeris prudentia axioma, ut nemini existas gravis, omnibus suavis, paucis familiaris, eoque modo Te gerendo haud mirum est, quod cunctorum consequaris amorem. Cum vero nunc & in publicum prodeas, haud vulgares animi dotes toti expositurus Academia Nostra, non possum non ex animo Tibi eapropter gratulari, & ut ex voto omnia cedant, precari. DEUS Ter O. Maximus nobilissimam dignitatem Tuam Spiritu suo Sancto ulterius regat, omnibusq; exoptatis ex alto superfundat, ut uberiore semper nanciscar Tibi gratulandi materiam. Vale.

Sc. Rostochii ex museo. A. 1711. d. 5. Octob.

HENR. ASCANIUS Engelcken/ Ph. ac SS. Th. D. hujusq; P. P.



Ad
Nobiliss. & Clariss. DN. RICHTBRUM
Domesticum meum charissimum.

RX quo ædes meas incolere cœpisti, RICHTER doctissime, tantam e vestigio in quodlibet sacrorum studiorum genus, non functorie sed solide excolendum, animi propensionem animadverti, ut non pa progredi sed cursibus videreris. Nec enim tantumdam Tibi ingenii ad præclara quælibet impetus & in seqvendo rei optimæ proposito immobilis constant & ea de iis, quæ legendo imbibisti, judicandi dext & eloquendi promptitudo, ab optimo Numine concess ut quo alii labore & molestia enituntur, Tu vel sol nestorū conatuū illecebris elucteris. Hæc DEI deposit Te munera non æstimas tantū comperta vitæ innoc de qua, cum quotidie coram oculis Te meis intuea mnium optime locupletissimeq; testari possum, sed dem animum posthac quoq; quocunq; locorum de ris, geres, ut DEO, sine quo nihil solidi fructus ac posse non ignoras, Te pectusq; Tuum probes, ut mum Parentem, qui omnes vires suas in Te ornat provehendumque impendit, ingenua voluptate re ut quicquid sacrarum divitiarum in ingenii Tui congeres, in Ecclesiæ reiq; publicæ utilitatem condumq; exponas. Scr. Rostochii die xxx. Sept. MDC. JO. FECHT. D. Disputat. Tuæ P.

TU verò, RICHTERE, paras Tibi condere famam
Doctrinamqve simul cum pietate DEI.
O quantum fuerit rectæ Tuæ ab indole mentis,
Si, quod cœpisti, pergere tendis iter!
Nā potius sacraque fide, pietateque sancta,
Hæc Tibi dat laudem, donat at illa DEUM:
Quæis dum doctrinæ conjungis culmina lætus,
Fulgidus in terris mox eris, atque polis.

